

DISSERTATIONIS,  
DE  
BIBLIOTHECARIIS  
ACADEMIÆ ABOËNSIS,  
PARTICULA PRIMA.

QUAM,  
ANN. AMPL. PHILOS. ORD. AURAIKO,  
*publico examini,*  
in Audit. Philos. d. XVI Dec. a. MDCCCXIII,  
h. a. m. f.  
*modeste subjiciunt,*

**Mag. FREDR. WILH. PIPPING,**

*Bibliothecarius Vicarius atque Adjunctus Facult. Phil. Ordinarius,*

ET

**CAROLUS GUSTAVUS PFALER,**

*Stipend. publ., Satacundensis.*

---

ABOË, typis FRENCKELLIANIS.





**M**ultis, novis & immortalibus facinoribus, ingenia, mores & fata hominum fingere, nec sui tantum ævi admirationem allicere, sed longam memoriã posteris colendam mandare, paucis datur; cæteros, numero plurimos, vel parca nimis natura, vel fatorum iniquitas, vel neglecta divini, qui in iis latet, spiritus cura, in media, ad excessam qua itur nobilioris perfectiorisque humanitatis arcem, via resistere, humi quasi fixos, cogit. Verum enimvero quemadmodum non fulmina tantum, quaslationes terræ, & quæ sint cætera vehementiori insignia vi phænomena, sed etiam venti, pluvix, nives, rores, cæt., quod suum in natura rerum continenda est, consueta & sedata vi efficientes, attentam merentur admirationem hominum, quæcunque ad mundum hunc vel terram nostram regendam conferant, acriter, ut naturæ scrutatores decet, intuentium; ita nec magni solum nominis viros, excelsi plus solito animi fortitudine genus mortalium regentes, encomiis efferamus, bene memores inferioris etiam ordinis illorum, quos pulverem excitare non juvat Olympicum, sed viam, qua facilis ad metam pateat aditus aliis manire, & errantes ab eadem titubantesve amica manu ducere, delectat,  
A qui

quibusque laudes pluribus sæpe nominibus debentur, gratis fluentes cordibus hominum, ad majorem cognitionis certitudinem, purum efficacemque virtutis amorem & honestum felicitatis studium, sic evectorum. Quid? quod haud sciamus an nunquam adeo exigua sit vis actionum hominis, locum in civitate occupantis, quo non sanitate & robore corporis tantum, quantum vigore & præstantia mentis opus est, morumque indoles quadantenus elucet, ut vere dicatur calculum historiæ generis nostri, a rudibus diu initiis ad insignem jam culturæ excellentiam per sæcula promoti, in alterutram partem, consilio, quod omnibus, finem ratione præditis nobis propositum rite intuentibus, commune esse oportet, vel promoti, vel impediti, non addidisse. — Quæ qui in dubium non vocaverit, nec miretur quod in vitis subsistendum duximus contemplandis virorum, quorum haud singuli ex omni adeo parte clari, ut magno mireve locum, quem occuparunt, splendore illustraverint, quin potius loci hujus dignitate & celebritate nobilitata quorundam nomina, vix nisi in ferie cæterorum collocata, qui laudibus illustres in historia eminent, oculos hominum, antiquitatis memoriam explicatam percurrere amantium, ad se rapiant. In spissa, qua litteraria almæ laborat Fenniæ res, caligine, incertis utut passibus, cum magna, propter dulcedinem investigationis rerum patriam tangentium, delectatione, errantibus nobis haud nullum semper vilum est ad litteras nostras inde redundaturum emolumentum, si quicquid offenderit antiquam earum molem perquirentium quisque, memoria hominum dignum, in medium proferat, quantumvis exiguum, læsum & a conjunctione partium suarum divullum. Sic vetusta artium monumenta finientium, temporis ruinam, non sine ingenti sæpe jactura, quæ evasere, in unum congerunt locum, ut conspicientibus examinare, comparare, mirari, imitari liceat, quæ nova, rara, pulcra, utilia visa fuerint. Quidni idem in cæteris, ve-

tu-

tuſtatis memoriã revocantibus, rebus fiat? — Dicta, ſcripta, facta, laudes, vitia, facta hominum, quodammodo notabiliorum, quæ teſtium fide tuſi relata vel audivimus vel legimus, aut in quorum veſtigia alia quadam, non minus certa, incidimus via, ſedulo conquiſita conferamus, Hiſtoriæ noſtræ prodeſſe quotquot nitimur. Ita præteritorum plenior ſenſim recurrens temporum memoria mentibus noſtris firmitior inhærebit, & indigeſta materiæ hujus mole a magnis, quæ tæret olim patria, ingeniis aliquando examinata, diſpolita, exornata, lætior poſteris arridebit Clio Fennica. Quæ cum ita ſint, vitas Præfeſtorum Bibliothecæ Academicæ Aboëniſis rite enarratas liſtere quamvis magnæ opus molis futurum intelleximus, noſtris parum aptum humeris, materiã tamen quam habemus, caſu sæpe ſtudii conſilium adjuvante, in tuſgere quod gerimus obeundo collectã, publici juris facere, utcunq; exilem & mancam, eo minus dubitavimus, quo certius ipſa rerum, quæ agentur, vis conſidere juſſit, vel omni abſque commendatione noſtra gratum Hiſtoriæ Litterariæ Fennicæ amicis futurum, quidquid lacunã ejusdem quandã explens, anſam ipſis præbeat, ornatiore diſpoſita ordine memorabilia gentis noſtræ poſteritati tradendi. — Hæc de conſilio hujus operis. — Explananda vero etiam ſtrictim quam perfequemur via, priuſquam narrandi initium fiat.

Adminiſtrationem librariæ, qua Auraica gaudet Univerſitas, ſupelleſtilis, mutationes ſubiſſe multas, cuique vellongam tantum a condita hac litterarum palæſtra currentem annorum ſeriem percententi, facile eſt ad intelligendum; frequentes autem cur fuerint adeo ut vel exſpectationem vincant, eſt quod paucis abſolutum volumus. — Communis eſt hæc mortalium fors, ut alii aliorum veſtigiis inſiſtentes, in vacuas ſuccedant ſedes, ipſi mox diſceſſuri; ſed vitæ humanæ brevitatem jam non loquamur, cum virorum, qui

Bibliothecæ Aboënsi præfecti fuerunt, pauci admodum diem in ea administranda obierint supremum. Ut vero humani nil fere omnibus initio absolutum esse solet numeris, quin temporum consecutione, nova inopinataque multa ferente, concussum, a prima illa diversam induat formam; ita ex ipsis Bibliothecæ minus late patentibus initio rationibus, non minus quam ex adventitiis haud paucis rebus, arcesendas esse causas versæ faciei muneris, quo gaza hæc servata est, sedulus annalium ejusdem indagator reperit. Mirum quantum tenui Gymnasi olim Aboënsis instructa librorum apparatu recens condita Academia Christinæa, peculiarem in principio non habuit custodem illius. Insigni deinde *Stålhandskianæ* liberalitatis munere aucti (a) ejusdem curam Notario Academicæ

---

a) Vid. *Historia Bibliothecæ Academicæ Aboënsis, disputationibus publicis XXIII proposita, ab HENR. GABR. PORTHAN, §. IV.* Retinendum vero non est, dubio haud carere omni rationes, quibus, Elencho s. Catalogo Bibliothecæ primo diligenti manu pervolutato atque cum ipsis voluminibus comparato, inductus Auctor Celeberr. errorem latere judicavit in calculo MICH. WEXIONII (GYLLENSTORPE), in *Perbrevis Relatione Historica de incrementis Academicæ Aboënsis*, Bibliothecam *Stålhandskianam* librorum fuisse 942 numero (ex quibus 400 in folio scitissime compacti), narrantis. In schedis enim ipsis *Porthanianis*, indefessa monumentorum, ad illustrandam Historiam patriæ conferentium, investigatione hinc illinc conquistis quas Bibliothecæ Acad. Aboënsi inferendas voluit clarissimi nominis possessor, *Σοφγγγν*, toto fere vitæ utilissimæ curriculo in Bibliothecam eandem, delicias suas, effusam, vel moriens adhuc testatus, exemplum reperimus tabulæ, in fidem acceptæ donationis, viduæ Generosiss. STÅLHANDSKII, Domine CHRISTINÆ HORN, a Senatu Acad. traditæ, cum iis quæ a WEXIONIO prodita sunt memoriæ aptissime continens. Quod, absoluta demum *Historia Biblioth.* beatæ memoriæ viro innotuisse cum videatur, typis hic describendum curavimus, in medio tamen relinquentes quæstionem, utrum in errore supputationis, an in casibus quibusdam igno-

miæ cum Inspectoribus duobus, e Professorum ordine annuatim vice, Patres Academiæ tradiderunt (b). Lustro autem  
vix

tis, ut voluminum quorundam iactura, vel cum aliunde comparatis confusione, permutatione, & sic porro, antequam concinnatus fuerit dictus Elenchus, anno 1655 editus, querenda sit causa diffusionis illius, in magnitudine domi eximii æstimanda ortæ. Verba tabulæ hæc sunt: "Wij Underskreffne *Rektor* och *Profesores Academiæ Aboënsis* bekenne och witterligt göre, ofs hafwa anammat och emootaghit af Edhle och Wålborne Fruu, Fruu *Christina Horn* till *Hummelstadh* &c. then *Edhle* och *Wålborne Herrens Herr Torsten Ståhlhandsskes* till *Hummelund* &c. *Generals Öffwer Cavalleriit*, och *Öffwerstes Öffwer itt Regimente* till håst, och itt till foet, efterlätne *Enckia*, itt förnämligit *Bibliothek*, som wål bemålte wålborne Fruu *Gudhi* till åhra, sin Salige Mann sampt sigh fräl till berömeligh åminneise, såsom ock ols, så wål *Profesorer* som *Studerande* ungdomen, som nu åre, och efter ofs komme, till floort bijslånd, hafwer föråhrat till thenna Konungzlige *Abo-Academie*, beståendes uthi nijohundrade fyrtojo och två böcker eller band, ther ibland Öffwer fyrahundrade *Folianter*, måst alle förnämlige och nyttige *Authores*, uthi åthskillige *Faculteter* och *Språåk*, efter som the uthi *Catalogo* af ofs underskreffwen, och wålborne Fruen *Öffwerleffrerat*, hwar för sigh namngiffne finnas, och ån widhare af trycket, will *Gudh*, innan kort utgååskal. Och såsom wij, sampt wåre efterkommande skyldige åre then wålgerningen altidh tackfamlighen ihughkomma, så bidie wij att then högste *Gudh* wille hennes *Frundöme* för thenna anseendliga föråhringen medh mycket gott uthi andeligh och lekamligh måtto rundeligen wålsigna. Till ytermere wisso haffwe wij samptlige underskriffwit wåra namn, och medh *Academie Signet* bekräftat uthi *Abo* then 8 *Maji* åhr efter *Christi* börd 1646."

JOANNES ELAI TERSEUS MAJOR S. Theol. Professor & h. t. Acad. Rektor.

Nomina cæterorum nulla apposita sunt. — A tergo hæc legitur: "8 *Maji* 646. *Copia* uthaff *revers* Welb. Fruun *F. Christina Horn*, (*S. Ståhlhandsskes*) *Öffwerleffwererad*." — Omnia antiqua manu scripta.

b) Vid. *Protocollum Consistorii Academi d, 15 Mart. an, 1648.*

vix clauso Academiae secundo auctoritate Regia institutum est Bibliothecarii munus, salario annuo CL Thalerorum argenteorum dignitateque Adjuntorum æquali donatum (c). Hæc postea quidem Professorum illi par facta est, cum litteris Cellisf. Cancellarii, die 20 Nov. ann. 1663 datis, Bibliothecarius tum temporis Mag. ANDR. PETRÆUS, Philosophiæ Professorum ordini, & deinde Senatus Academici decreto (d), Assessor Consistorio hujus, adjungeretur, sed ita tamen ut homini magis quam muneri adhæserit hic honos, qui cæterorum nemini Bibliothecariorum contigit, nisi proximo PETRÆI succesori, Mag. PETRO LAURBECCHIO, Extraord. Mathes. Professoris nomine simul ornato (e), quamvis ipsum diploma, in fidem denominationis succesori hujus datum, comoda omnia, antecessori tributa, ei quoque polliceatur. Levem & brevi temporis fuga rursus abolitam hanc si exceperis variationem, eadem mansit Bibliothecariorum conditio usque ad ann. 1690, quando Mag. PETRO HAHN, *Phys. Prof. Ord.* linguæ Fennicæ imperito proptereaque fructum muneris, nec sane contemnendum, quem e cura Ecclesiarum, Academiae in complementum reddituum annexarum, nonnulli collegarum hauserunt, recusare coacto, præfecturam Bibliothecæ stipendiumque huic assignatum, prius suscepti officii partibus adjungere permisum (f). Bibliothecæ unum Philosophicæ Facultatis Professorum præficiendi hinc sensim invaluit mos, ita tamen nova rerum

---

e) Cfr. Dipl. Reg. CHRISTINÆ d. 18 Dec. an. 1650 datum, & Litt. Cancell. P. BRAHE d. 20 Jun. ann. 1651.

d) Vid. Prot. Consist. dier. 4, 20 & 22 Apr. a. 1664.

e) Vid. Litt. Canc. d. 21 Aug. a. 1666 & 30 Jul. a. 1667.

f) Vid. Prot. Conf. dd. 14 Maji a. 1689, & 25 Jun. atque 10 Jul. 1690.



rerum Academiae distributione, Ordinum regni Sueciae Regiaeque Majestatis auctoritate ann. 1743 sancita, limitatus, ut cura Bibliothecae primo Philosophorum, vel seniori Facultatis, ecclesiasticam parociae cujusdam Academicae administrationem suscipere nolenti traderetur, exiguo illo L. thaleror. argenteor., ultra solitum, quod Profesores mererent, stipendio compensanda (g). Nec lautior laboris indies aucti merces Bibliothecariis contigit, cum viginti & quod superat annis serius spartam, libris Academiae servandis dicatam, a docendi illa rursus sejungendam, in perpetuumque separatam, quamvis dignitate haud imminuta, futuram juberet, Senatus Academici votum commendante Cancellario, S. Reg. Majestatis (h). Tenuissima fortuna luctari durum, sed diu amplioris repressa est spes, donec tandem Bibliothecario Mag. FRANC. MICH. FRANZÉN, Historiae Litterariae Professoris nomen, officia & jura quaevis caeterorum Philosophici Ordinis Professorum, salariique ordinarii, quamprimum successione lex permetteret, usum, secum ferens, Litt. Reg. d. 4. Sept. an. 1798, additum. Cesarunt quidem cito emolumenta haec, promotus ad aliam provinciam eo, cui concessa erant, sed affluerunt simul alia, tam e testamento, quo, d. 2. Sept. an. 1797 consignato, Hist. & Phil. Pract. Prof. Mag. JOH. BILMARK, mortuus a. 1802, praeter alia munificentiae insignis documenta, Academiae usui assignata, fenus Thalerorum Imper. MDCLXVI cum besse (quorum pars moneta Svec. Banco, altera moneta Riksgälds jam constat (i)), Bibliothecario in supplementum stipendii annui numerandum decreverat, quam e censu recens cultorum Academiae fundorum, quo esse-

---

g) Cfr. Åbo Academies Stat af d. 22 Sept. 1743.

h) Litt. ad Cancell. Acad. Aboëns. d. 21 Mart. a. 1764. missis.

i) Cfr. Litt. Canc. d. 14. Apr. ann. 1803.

effectum, ut tributis annuis, Thaleris C argent. (*indelt*) æstimatis, a colonis prædiorum illorum ab ann. 1803 pendentibus (*b*), salarium Bibliothecarii augetur. Tandem igitur ad similitudinem primæ constitutionis reducta, immo in melius versa est fors viri, cui penus librariæ cura in Academia nostra incumbit. Ab antiquis autem illis temporibus quo longius interim itum, eo minus in parvulo illo augmento acquiescere nunc convenit, cum nec olim par rationibus muneris cæteris visum fuerit eidem initio datum salarium. Nec diu expectatum, priusquam desideria, quæcunque hinc nata essent, larga manu satiata, lætum præsentis usum permitterent omnemque futuri anxietatem præriperent. Inopiæ Bibliothecæ, ut labentibus cæteris Universitatis nostræ litterariæ partibus, succurrit propitius munificentissimusque idem ALEXANDER, IMPERATOR noster AUGUSTISSIMUS, cujus æternum celebrando decreto, d.  $\frac{10}{22}$  Febr. a. 1811 gratiosissime factò, amplissima jam fruitur Academia fortuna, fruitur Bibliotheca, insigni annuorum magnitudine reddituum ditata (*c*), præfectoque gaudens, auctoritate, stipendio & dignitate, qualem officii postulat sibi injuncti natura, ornato. Sancitum scil. a Cæs. Majest.ate jam est, ut Bibliothecarius Academiæ hujus semper sit Historiæ Litterariæ simul Professor, publicis horis per septimanam binis juventuti legendo præiturus, cæterum in omnibus Philosophiæ Professoribus æquiparandus.

Latius

---

*b*) Vid. Litt. Reg. d. 26 Febr. a. 1805.

*c*) Nova lege reddituum Academiæ distribuendorum statutum est, ut præter eam, quæ e prisca illis rivulis fluat, tenuem admodum pecuniam, DCCCCLX Rub, argentei Bibliothecæ quotannis de publico cedant,

Latius hæc atque distinctius explicuerunt alii (m); nostrum non erat, nisi brevi relatione præmissa aliquem conspectum, quali in antecessum opus est, rerum ad Historiam Bibliothecæ Academicæ Aboënsis pertinentium, & simul causas continuæ fere ad alia munera migrationis eorum, qui eidem præfuerunt, Lecturis præbere. Jam vero patere speramus, a tenuitate inprimis fortis, Bibliothecæ præfectis a republica huc usque concessæ, derivandum esse, quod, ut e sequentibus elucebit, intra CLXIII annos, a prima Bibliothecarii ad hanc Academiam nominatione jam transactos, sæpe adeo administratio illius muneris ad alias ex aliis transierit manus, ut vix ultra VIII annos apud singulum mansisse eandem præfectum putet, qui æquales intervalli illius partes cuique tribuere velit, annua vero statione abeuntes quosdam deprehendat, qui historiam temporum rite persecutus fuerit. Simul variam, quæ Bibliothecæ custodum fuit, conditionem nil impedire quisque intelligat, quominus officii solum respectu habito, omnes uno Bibliothecariorum titulo salutemus, penes quos supremam librorum Universitatis hujus curam, Imperantium interdum, interdum Cancellariorum, auctoritate demandatam, fuisse constat. — Fuerunt autem hi:

B

I. *Axe-*

---

(m) Inprimis Cel. PORTHAN in *Hist. Bibl.* cui an. 1795 Appendicis accessere Part. I, II., & Max. Rev. ANDR. JOH. LAGUS in *Orat. qua Augustissimi potentissimique Monarchæ, ALEXANDRI PRIMI, Rosiar. omnium Imperatoris & Autocrat. &c. &c. Magni Ducis Finlandiæ &c. &c. &c. in Camenas Aboënses lautissima beneficia, jussu & nomine Consistorii Academici, pie celebravit, die XXVII Jun. MDCCCXI.*

I. *Axelius Andreæ Kempe.* (n)

Ortus est die III. Januarii ann. 1623. in *Ostrobothniæ* Paræcia *Nerpes*, parentibus honestissimis, patre, tum temporis Sacellano ibidem, ANDREA MAGNI KEMPE, *Wermelando*, postea Pastore in *Lappsjärd*, matreque ANNA WARG, Pastoris *Tornoæ inferioris*, MARTINI MATHIÆ WARG (o), filia. Primis.

---

n) Notitiam momentorum, quæ vim addiderunt vitæ hujus; e Programme, quo, d. 5. Febr. an. 1682 scripto, ad audiendam Orationem, memoriæ defuncti a *Bibliothecario* GABR. WALLENIO dicendam, vocavit ERICUS FALANDER, *Hebr. & Græc. Ling. Prof. Aboëns. Acad. p. t. Recit.* cujusque vocabula tantum non singula secutus dedit ANDR. ANT. STJERNMAN, in *Aboa Literata*, ex ipsa hac *Oratione*, quæ b. auctoris, ni fallimur, manu scripta, servatur in Bibliotheca nostra Academica, & maxime ex *Actis. Consistorii Academici* variis, hausimus.

o) Nylandum, Pastorem in *Nerpes* 1609 factum, & deinde, promovente *Joh. Skytte*, *Tornoam* translatum fuisse hunc didicimus e *Catalogo Cleri Ostrobothniensis*, annexo exemplo quod servat Bibliotheca Aboënsis manuscripto *Genealogiæ Suursillianæ*, cui inscribitur: *Genealogia eller Slächt-Register öfwer Siu Systrar Suursillar*, ifrån *Uhmå* uti *Wåsterbotns Låhn*, till *Österbotn* komne, af hwilcka största delen *Pråste- och Stånds- Personers familier* här i landet theras härkomst åga. Samladt endels af *Sal. Biskopens Herr Doktor Therseri*, endels af *min Sal. Faders, Kyrkoherdens uti Brahestad, Martini Peitzii annotationer*; endels ock sjelf, samt mer än till hälften intill närwarande tid tillökt, med det som man ock genom *correspondencer* inhämta kunnat; Efterkommanderna till någon underrättelse om theras slächt och härkomst, med ospard möda och arbete, af GABRIEL MARTINI PEITZIO, *Comministro tn Limingo*, år 1747. Cui fidem præbere non dubitavimus, cum in omnibus congruat paucis iis, quæ de avo materno KEMPII a GABR. WALLENIO *Or. c.* commemorantur, quamvis non perspiciamus quomodo componantur hæc ERICI BRUNNII, *Er. Fil.*

mis solum litterarum morumque rudimentis in domo politis paterna, sexennis (a. 1629) missus est Tornoam, avi reverendi moderamine, publica que institutione in Pædagogio Urbis propediem (p) constituendo, iis quæ animum suum, bene a natura informatum, ornarent cognitionibus virtutibusque æmbuendus. Non tamen nisi triennium ibi transactum. Etenim,

B 2

nim,

& JOH. JON. TUNÆI notatis, in quibus multiplex esse videtur error. Ille in *Disfert. Grad. de Urbe Torna eique adjacentibus paroeciis*, præf. ERICO ALSTRIN, Ups. 1731 in 4:to edita, Pastores nominat tres ejusdem, ut putamus, familiæ, quendam scilicet MARTINUM MATTHIÆ, alium JOHANNEM WARGIUM, mort. a. 1627, & deinde MARTINUM WARGIUM, Wib., antea Pastorem Eccles. Fennicæ Holmiensis; hic vero in *Herdaminne, eller Hernösands Stifts Präst-Krönika*, cujus Epitomen a Mag. ISAACO BIBERG, *Leff. Hernöf.* factam, suis *Samlingar til en Beskrifning öfver Norrland* appendi curavit ABR. ABRAHAMI HÜLPHERS, nulla duorum ejusdem nominis, *Martini* scilicet, mentione facta, MARTINUM MATH. WARGIUM, *Wib. Carel.*, Tornoam, relicta Fennicæ quæ Holmiæ est Ecclesie administratione, post ann. 1620 venisse, mortuoque 1627 successisse filium JOHANNEM MART. WARG, Stud. 1625, mort. 1638, perhibet. Neminem autem cujus simile his sonet nomen in ordine invenimus Pastorum Ecclesie illius Holmiensis, quos, serie nullibi, quantum cernere licet, interrupta, enumerant tam ADOLPHUS JOHANNES GRUNDEL in *Disfert. de Stockholmia, urbe Sviogotharum Principe*, cujus partem I:im præf. LAUR. ARRHENIO, 1724, II:im pro gradu præf. FAB. TÖRNER, 1726, Upsaliæ defendit, quam Auctor Commentationis quæ inscribitur, *Utdrag af en till Riksdagsmännen från Finland vid sista Riksdag afgifven berättelse om Finska Nationelle - Kyrkan i Stockholm, med någon tilläggnig*, Novellis Aboënsibus: *Tidningar utgifne af et Sällskap i Åbo*, pro anno 1771, insertæ, & JOH. ELMERS in libro: *Stockholm*.

(p) Constitutum est a. 1630; ædes vero non exstructa ante ann. 1651. Vid. HÜLPHERS l. c. 5:e Saml. 2:a Band, pag. 139, & TUNÆUS l. c. pag. 51, not. 31.

nim, haud scimus utrum ingenii maturitate ætatulam anteviente, an rebus Pædagogii nondum apte fatis firmiterque ordinatis, ad Scholam Triviale Pitoënlem, fumus porrigente inprimis avo, ann. 1632 migravit, ubi litterarum studiis prona ita eminuit eoque præstantiæ impigre processit indoles, ut præceptoris fidelissimo, M. THOMÆ ROSELIO (I. ROZELIO), Scholæ primo Rectori, haud semel ingenii, diligentiae atque profectuum discipuli laudes cum admiratione celebranti, lætissimam de se spem injecerit, in ludo eodem defudans usque ad ann. 1638, quo ad patrios, in Parccia Lappsjård interim, ab ann. 1636, fixos reversus lares, a parentibus, curam filii jam vindicantibus sibi, alacriterque maturandum felicibus inceptum auspiciis opus sentientibus, Aboam, Gymnasio his oris tum florenti inferendus, mora interposita nulla dimissus est. Nec deseruit, qui a primis jam annis vehemens fuerat, litterariorum ardor studiorum in juvene, novum jam vastioremque peragrante campum eorum, sed tantum crevit, *ut multis commilitonibus post se relictis, non solum cum optimis, sed cum semetipso quoque, discendi ardore certaret* (q). Quapropter etiam doctoribus Gymnasii, præprimis duobus, optime acceptus, Mathematicum scil. Lectori Gymnasiique eo tempore Rectori, postea ad Academiam Aboënslem, primum Phys. & Botan., deinde Theol. Profesori & Doct. GEORGIO ALANO, viro in fastis Fennicæ celeberrimo, & plurimum Reverendo Dom. PETRO INGEMARI (r), exiguo admodum aliquot

---

q) Verba sunt WALLENII in *Orat.* laud;

r) Quasnam hic in Gymnasio geserit partes, nondum fatis indagare licuit. Reverendissimus JAC. TENGSTRÖM, *Disf. Vitam & merita J. B. Rothovii* exposituræ pag. 48 sqq. & Max. Reverend. PETR. JOH. ALOPÆUS, *Specim. Hist. Litt. Fennicæ* pag. 42 sqq. Lectores Gymnasii vel Collegii Aboëns. enumeratos, ut & res ejusdem cæteras explicatas, sistentes, doctorem talem tacent. Fuisse

quot septimanarum spatio ab adventu emenso, dignus visus est qui ad medium in superiori Auditorio discientium locum promoveretur (s). Quemadmodum autem vel diligentissimi ani-

autem ei docendi vices, ordinarias haud constat an extra ordinem, traditas, e Prot. Conf. Acad. d. 6 Aug. anni 1642 colligere licet, ubi haec exstant verba: "*Amplisf. Dom. Pro-Cancell.* påminte *Senatum Academicum* om *D:ni Petri Ingemari* lägenheet, hvilken för någon tizdh sedan hafuer arbetat in *Gymnasio*, och nu altsedan här en Konungzligh *Academia*, i Herrans namn *inaugurerades*, hafuer ingen lägenheet haft, uthan täleligen *expellerat*. Begårade förthenskuлд *Amplisf. D:uus. Procancell.* at om någon lägenheet framdeles kunde *vacera* i *Acad.* han måtte i dagligh minns hafuas och till någon *Profesjion* förhielpas." — Comperimus cæterum e Prot. d. 29 Jul. a. 1640, oblatam sibi tunc Academicam recusasse eundem Adjuncturam, minoris æstimatam quam ut victui cultuique sufficeret, Rectoris vero Scholæ Helsingforsensis munus ambiisse, quamvis frustra. — Vicariam Eloqu. Professori JOH. EL. TERSERO, juniore, peregrinanti variasque ob causas sæpe absentis, operam per biennium saltem, ab ann. 1641 ad 1643, annuente Consistorio Acad. (Cfr. *Prot.* dd. 22 Maji, 2 Jun., 2 Oct. a. 1641, 2 Nov. a. 1642, & 19 Jun. a. 1644.) præstitit. Nec indoctum fuisse, tam ex his constat, quam ex eo, quod Episcopus & Pro-Cancellarius Is. B. Rothovius, vir profusioni honorum Academicorum minime indulgens (Cfr. *Prot. Conf. Acad.* d. 29 Apr. a. 1643 & *Tengström Vita Røth.* passim), dignum cui summi in Philosophia honores, promotione ad hanc Academiam prima, deferrentur, illum judicaverit. Habet enim Prot. Conf. Acad. d. 22 Mart. 1643, deliberatione de iis orta, quibus lauream Facultas Philosophica decreverit: "*Amplisf. D. Procanc.* begårte at *Senatus Acad.* wille see opå någre andre lärde personer, såsom åre: *Samuel Hartman, Andreas Johannis Keckonius, Petrus Ingemari* och *Nicolaus Lindormi*." — Spe vero præter *Sam. Hartman* omnes hac vice ceciderunt.

s) Translationes, tam e Classi ad Classem, quam ex inferiori Auditorio vel Schola, ad superius, Collegium dictum, in mutatione

animum a maxime adamatis lucubrationibus distrahere, vehementissima nonnunquam violentia, solent inopinati, funesti, casus varii, qui parentum aliorumve, necessitudine his proximorum, fortem quasantes, otium, litterarum studio apprimere necessarium, turbant; ita Nostrum quoque, cito nimis, e Gymnasio Tornoam revocavit avi dilectissimi mors (t), retinuitque per integrum fere biennium afflictis aviæ (u) rebus consulendi votisque satisfaciendi desiderium. Quod tamen facile deinde vicit Mularum Aboënsium amor, nova eoque efficaciori vi animum iterum movens, quo tutiora latioraque illis domicilia interim aperuerat Minerva Septentrionis, immortalitatem nominis, fundata Aboënsi Academia, his locis figens. Vix enim ad ultima illa Hyperboreorum domicilia novæ vagata est fama rei, priusquam ad Auram volat *Axelius*, nomen daturus albo societatis litterariæ; quod, ritu Depositionis peracto, vere an. 1641, Rectore ÆSCH. PETRÆO, S. S. Theol. Doct. & Prof. Prim., Decanoque Mag. MICH. WEXIO.

---

Rectoratus, finito examine, circa diem Philippi & Jacobi obtinuisse, e Statutis Gymnasii Aboënsis, part. III:æ *Vit. Rothov.* insertis, constat. Constituto autem hoc, an singulari, more, superiorem occupaverit noster sedem, pro certo haud decreverimus.

7) Incidisse hanc in annum 1638 inde colligimus, quod annos agentem decimum sextum & septimum, Tornoæ, ad exsequias avi profectum, substituisse KEMPNUM narret WALLENIUS. Unde etiam error quadantenus explicari potest TUNÆ, mortuum hoc anno JOH. MART. WARG referentis.

8) Erat hæc WALLBORG, filia JACOBI MARTINI WILOI l. WILOIDIS, Aboënsis, Pastoris in WÖRO ann. 1573, & deinde Præpositi totius Bothniæ Orientalis, qui cum filio MATTHIA WILODE, Sacell. in WÖRO a. 1590, & a. 1607 primo Pastore in Kronoby, decretum Concilii Upsaliensis appositione nominis munit.



WEXIONIO (ordini nobilium regni Suec. postea, nomine GY-  
LENSTÄLPE, adscripto), *Polit. & Hist. Prof.*, suum utroque  
munus ambulatorium nuper instituto in collegio primum ge-  
rente, factum est.

Summa cum alacritate initum, non minore virtute &  
succesfu usque calcatum esse adolescentium curriculum anno-  
rum nulli dubitantes, cum & alias fide dignus, & maxime  
de homine sui ævi, civibus, collegis, æqualibus hujus coram  
verba faciens, GABR. WALLENIUS, honorificentissimis efferat  
encomiis merita, quæ discentem in Academia per sex conti-  
nuam annorum seriem distinxerunt KEMPIUM, verba illius  
huc spectantia ipsa dabimus: — — "Scholar (Academicorum  
scil. doctorum) obfidebat: primus, credo, veniens, novissimus:  
exiens. Quotidie in Græcis & Latinis Auditoriis assiduus;  
in Poëtica, in Oratoria, in Logica, in omni Philosophia &  
Philologia cum laude & laboris pretio progrediebatur; semper  
ex amœnissimis Musarum hortis excultas nobilesque morum &  
sermonis elegantias secum ferebat; semper doctior, saniorque  
domum redibat." — — "Post publicas stasque Professorum  
lectiones, ad repetitiones earundem festinans, domestica indu-  
stria prædulces doctrinarum lautitias & vere ambrosias dapes  
quasi in succum & sanguinem convertebat; instar sacrosancti fi-  
dei commissi habens, quicquid a sublimibus illis doctoribus tra-  
ditum, custodiendum accepisset, Bonos authores legebat intente,  
utilisima excerpens; spurca forte, & quæ castimoniam morum  
lædere poterant, abominans, & cuncta irriti acuminis ludicra  
fastidians. Stylum vertebat creberrime, epistolas scriptitabat,  
oratiunculas componebat, & quicquid uspiam in universo philo-  
sophiæ mundo offenderet præter cætera pretiosum & excellens  
peculiari sollicitudine in sacrario bonæ memoriæ reponebat.  
Subeisivis horis pangebatur Carmina, non leviter iucundissimis  
verborum sententiolarumque tragulis erectus ac sæpe recreatus.  
Atque

*Atque hujusmodi Beati nostri pulcherrima erant otii negotia. — In coetu alias cum literato commilitio libentissime iungebat amicitias; quare disputationibus tam solennibus, quam privatim indiſtis exercitationibus, ſingulari ſtudio vacabat.*” Simul tamen ſilentio hæud prætereunda, quæ juvenilem Noſtri ætatem cenſoria animadverſione percurrentium ſeveritatem offendunt. Leviculo juniorum, illius inprimis ſæculi, Academicorum genio obtemperantem, libertatis, quam Academicam dicere amant, fines, integro æqui honeſtique ſenſu certius sæpe quam legibus ſtabilitos, petulanti licentia nimis dilataſe nonnunquam, Acta noſtra parum abeſt quin teſtentur. Vagationes quidem tumultusque nocturnos taceremus, quorum, culpæ vel conſcius, vel auctor, reus sæpius factus eſt, niſi hæreret aliquantum aqua in contumeliæ injuria, prudentiam præcurrente juvenilis loquacitatis audaciæque petulantia, quibusdam ſimul illata, quorum dica, reconciliationis interventu quanquam abolita, protervæ notam intemperantiæ homini, nec immerito, impegiſſe videtur (v). Abſit tamen ut turpe quid his imprudentis ætatis KEMPII peccatis, e jocis ludicriſque magis quam feriis decurſibus ortis, affigere ſtudeamus, probe obſervantes, nec mentes conſiliaque hominum e ſpecie factorum dictorumque intempſtively vel properanter æſtimanda, nec ſingula, quæ ineuntis fervor vitæ audere coëgit, in malam partem interpretanda eſſe. Quod itidem hominum illius temporis plurimos ſenſiſſe putes, penes quos judici.

---

2) Cfr. Prot. Conf. dd. 29 Jan., 2 Febr. & 2 Mart. a. 1645, 12, 14 Apr., 3—16 Dec. a. 1648, & 4 Jul. atque 23 Oct. a. 1650, quorum d. 4 Jul. habet: — — ” kallades *M. Axelius* in, och bleff honom förhollit, huru mycket och åſta han *Conſistorio moleſt* giordt hafuer, och nu ochſå hwart ordh i zedhlen år *Scotticum*, han doch för ſittande rett bærer ſigh åth otillbörlighen.” — — —

dicium rei erat. Certum enim, illa omnia KEMPIUM, ut a meta, sibi ad litterarum sacraria tendenti proposita, non abripuerunt, nec præmio laborum defraudasse. Præstitis quippe egregie, quæ leges moresque litterariorum postulant societatum, speciminibus, quorum nominatim commemorasse iuvabit Disertationes tres, consuetudini forte temporis, quo sæpius vel exercitia ingenii vel specimina eruditionis publice disputando in medium erant ferenda (w), parens quas defendit, priores illas an. 1646, alteram, cui inscribitur: *Theoremata quædam miscellanea*, præside GEORG. CHRISTOPHORI ALANO, *Phys. & Bot. tum Prof.*, alteram sub præsidio MICHAEL. WEXIONI, *Polit. & Hist. Prof.*, titulo: *Fasciculus questionum Ethicarum, nobiliores attingens controversias; cum succinctis earundem solutionibus & distinctionibus usitatis* (x), hanc vero ann. 1647 pro gradu philosophico, præside NICOLAÏ LAURENTII NYCOPENSI, *Log. & Poës. Prof.*, eodem hoc anno, die 4 Maji, laurea Apollinari, undecimam inter octodecim Candidatos Clarissimos tenens locum, distributore WEXONIO (y), ornatus est. Nec honoribus tantum hanc comi-

C

tan-

w) Cfr. *Livén Catalog. Disputt. Sect. III:a* passim. Ex. gr. observentur quæ nomina *Joh. Rodde*, pagg. 189, 202 & 204, *Joh. Sv. Wusénii* pagg. 16, 139 & 224, atque *Magn. Wictii*, pagg. 41, 51 & 54, tangunt. — Disertationes etiam in exercitium Stipendiariorum editæ, prelo haud raro commissæ sunt.

x) Disertatio hæc, a Nobiliss. Præs. revisa, publicæ iterum subiecta est censuræ a. 1653, Respondente *Mart. Miltopæo*, Aboënsi, partem (pagg. 49-96) efficiens operis majoris, cui rubrum postea præfixum: *MICH. GYLLENSTOLPE Jur. utr. & Phil. Doct. ac Prof. Aboëns. Philosophiæ Practicæ Pars Prior, Ethicam atque Oeconomicam continens: revisa & recusa Aboæ 1653.*

y) Cfr. *Hujus Rota Fortunæ in Promotione Magistrali, quæ secunda Aboæ habita, 4 Maji 1647 circumacta & volutata.*

tantibus, qui morum integritate, solidæ sapientiæ & amplæ doctrinæ sociâ, conspicuis, primæ Academiæ nostræ ætate, tributî sunt præsertim viris (z), eruditionis & candoris, animum KEMPÏ ornantiam, probatur sinceritas, sed munera imprimis, quibus, haud multo temporis spatio interjecto, auctus est, non ingenii subtilitate tantum acrem scientiarumque familiaritate politum, sed perspicaci etiam prudentia sollertem, illibataque probitate constantem, postulantia virum, ne suspicionem quidem vilioris indolis relictam indicare videntur. Haud ignoramus, multorum animis diu adhuc remanentia latuisse odia, turbis supra commemoratis excitata, KEMPÏO sæpius molesta. Quod vel e litteris (alia ut taceamus) Nobiliss. MICH. GYLLENSTOLPE (*Wexionii*), quæstione de sufficiendo in locum hujus, e Professione Politicæ & Historiarum ad sedem Assessoris in R. Dicasterio Aboënsi anno 1657 abeuntis, illo mota, ad Celsiss. Com. PETRUM BRAHE misiss plurimis, querelarum de dissoluta KEMPÏI vita plenis, suo infra loco, ubi res ferat, propius forte a nobis examinandis, efficitur (aa). Ea autem cum sit dubiæ vis famæ, ut in obscuro

ser-

---

2) Vid. Prot. Conf. d. 22 Mart. a. 1643, quod habet: — —  
"Ampl. Dom. Procancell. begerte therhoos at weta huilke thee-  
âro som *Facult. phil.* hafuer århnat denna gångh *promovera*. *Decanus Facult. phil.* nåmbde först *D: num Marcum Pauli (Zadele-*  
*rum) Scholeæ Conrectorem*. Om honom blef råttat, och af alla en-  
hålleligen beslutit, at emedan han år något ohöfligh *in vita &*  
*moribus* (doch elieft såmeligh lerdh person) kan han *disputera pro*  
*gradu*, når honom så behagar, men lijkwål denne gångh inthet  
*promovera*, på thet han hår af må sigt besinna, huru hans förar-  
geligh lefwerne stänger honom ifrån sin fördel. Framdeles skal  
han owågerligen *admitteras*, om han lather see någon bettringh."

aa) Harum notitiam litterarum, inter quas d. 10 Jun. an. 1658 da-  
tæ imprimis acerbitate cæteras exsuperant, favoris benevolentie

serpens, fonte mali jam sicco, venena diu fundat occulta; æmulatione infensa genitæ simultatis, non invidiæ publicæ, querelas jactitantem videre nobis videmur epistolarum auctorem. In partes igitur *Kempianas*, succesu, non fortuito, sed constanti, virorum magni nominis opera plurimorum parto, superiores euntibus nemo nobis veri, eventu probati, studium vitio vertat.

Depositoreis officium, in hac, ut aliis ejusdem ætatis, Universitate necessarium aliquamdiu habitum, per se autem superfluum, imo ridiculum, durum & vix liberale, cui administrando vicariam ab anno 1647 (*bb*), ordinariam vero ab an. 1649 d. 28 Febr., decedente ab eodem M. SIMONE CAROLI ANGLENIO, Rectore Scholæ Trivialis Neo-Carlebyensis

C. 2

dis

---

debemus Viri, rerum gentis nostræ ut scientia præstantissimi, ita studio eminentissimi, Reverendis. Doctoreis JACOBI TENGSTROM, *Diocesi. Aboëns. Episcopi Academiæque hujus Procancellarii, Ord. Imp. de St. Anna in prima classe Equ. & Reg. Suec. de Stella polari Membr.*, qui suam, e multitudine epistolarum, Excellentiss. Comiti PETRO BRAHE, Acad. nostræ primo Cancellario, hinc illinc olim traditarum, in celebri prædio *Rydboholm* collectam, epitomen benigne nobiscum communicavit.

*bb*) Auctore WALLENTIO hoc narramus, docente, KEMPIUM, eodem anno quo Philosophiæ Magister creatus est, Vice-Depositorem audiisse. Infutandum autem non est, dubii quid, de tempore inprimis, quo factum sit, animo nostro remansisse, cum ex Actis Acad. hoc unum constet, Depositorem ANGLENIUM a. 1647 & 1648 perfectionem in Germaniam parasse, sed 1648 d. 15 Mart. demum de substituendo ei adjutore aliquo cogitatum fuisse; quorum tamen neutrum executioni datum credas consilium, cum non ita multo post ad Rectoris officium Neo-Carlebyæ obeundum ANGLENIUS vocatus, Depositoreis provinciam plane vacuam reliquerit. Cfr. Prot. Conf. dd. 3 Nov., 8 Dec. an. 1647, 9 Febr., 15 Mart., & 6 Sept. 1648.

fis constituto, operam dedit KEMPE, gravioris illius fuisse indolis, multi fortasse negandum putent. — Nobis aliter visum. — Generosus erit cultuque placidus, cui frena demus equus, & quo spatiosior campus arbitrio ejusdam datus, eo diligentius videndum huic ne in devia ruat. Sic ludicræ illæ cærimonie puerilesque vexationes, quibus in deponendo dabatur locus (cc), subacto judicio honestaque gravitate boni

---

(cc) De ritibus Depositionis quibusdam, Upsaliæ olim obtinentibus, consulendus est DE LA MOTRAYE, *Travels through Europe, Asia, and into part of Africa*, ed. Lond. 1723 impr. pag. 264 sq. Vol. III, vel edit. Gall. Tom. II pag. 316 sq., unde verba, digna sane quæ legantur, in *Hist. Acad. Aboëns.* Part. V. §. XVIII, Cel. JOH. BILMARKE descripsit. Nostorum vero hominum nemo singula studio cum exposuerit, quæ ad barbari illius instituti, præsertim quæ Aboæ viguit, notionem plenam & simul distinctam animis informandam necessaria sunt, quorumque explanatione multum, procul dubio, lucis in historiam morum, a majoribus nostris receptorum funderetur; a se nostra haud alienum duximus, symbolæ instar, Actorum Censistorii Acad. Aboëns. quædam in transcurso proferre, acerbam tam ipsius *Depositionis*, quam cum hæc arcto cognationis vinculo juncti *Penalismi*, indolem aliquantulum explicantia. — In Prot. Conf. d. 5 Dec. a. 1640 hæc occurrunt: "Framkom *Henricus Zeverini*, gifwandes tillkenna at förr 8 daghar sedhan hafwer (han?) budhin kommit uthi Sigfredh Salkos hwfs, ther en *Bothniensis Henricus Sigfridi* hafwer gifwit till bästa, efter en gammal oanseedt olideligh plåghsedh, thet thee kalla *Absolutions Öll*, ther och thee andre äldre *Studiofi* hafwa bette *Henricum Sigfridi a Penosismo absolutat*. När *Henricus* hafr der sutit en tijdh och blifwit drucken, ther hoofs och så flått sigh otillbörligen, thet näghre andre opartilke witnadhe, hafr en aff gåsterna, som och *Vice hospes* varit hafwer, slagit honom medh een kannu i pannan &c." — Prot. d. 29 Maji a. 1644 habet: "*Magnif. Rector* beswärar och gifuer tillkänna at *Studiofi* här i Stadhen *exigera* af *novitijs* Cornuut, och komma them till onödiga *expenser*; låmvål och ytterligare effter halft eller heelt åhr måste *novitij* åther göra *Absolutions Öll*, ther brukas några *Ceremonier* medh *novitio*, och alt skal gå ther uppå uth,